

985 Compsae prope ecclesiam cathedralem.

P · ACCIO MARC  
ANO VEBIA MAR  
IA · C · B · M · F CVM  
QVO VIX AN LV · IS  
5 XII

Descripsit Brunn.

Fortasse fuit *cum quo vix(it) an(nos) LV, is [LX]XII vel is [vi]xit [annos] . . .*

986 [= 203] litteris quadratis; Compsae in loco dicto *Picchiazzo*.

L · ALBIVS · C · F Brunn recognovit. Cas-  
POB sitto ms.

987 [= 204] Calitri in agro d'Amato.

D · M  
APOLLONIO  
SECUNDIANV  
S · FILIO · MEMO  
5 RIA · B · M · F

Ex Cassittianis Guarini varii monum. 1835  
p. 44.

988 [= 205] Compsae.

N · LEPIDVS · Q · F

Cassitto ms.

989 [= 206] Compsae in massa Gervasio. In  
silva *alla Maddalena* secundo a Compsa la-  
pide vidisse se titulum rusticus quidam  
Brunnio narravit; sed frustra eum quaesi-  
verunt.

MAGULLIAE · ROMANAE  
FELICIO · CONTUBERNALI · KARISSIMAE  
CVM · QVA · VIXIT · ANN · XIII

Cassitto ms.

990 Compsae prope ecclesiam cathedralem.

*filiæ KARIS*  
OPPIVS · HONO//  
PATER ET FLAVIA  
5 ROMANA M Ater  
PARENTES

Descripsit Brunn.

991 [= 208] Compsae in aedibus Eduardi Rosa.

P R I M E M  
IRTILO · P  
ATER · FILI  
AE · B · M · FECI

Cassitto ms.

992 [= 209] Calitri VI p. a Compsa in muro  
cryptae ecclesiae S. Mariae in Elice.

D · M  
SECUNDIANO  
hasta VRSVLVS · PATRI culter  
BENEMERENTI  
5 FECIT

Ex Cassittianis Guarini varii monum. 1835  
p. 43.

993 [= 210] Compsae nella Campagna del S.  
Rosa.

ISATI  
SPROTI

Cassitto ms.

### XXXIX. Ager inter Compsam Abellinum Aeclanum.

Composui hoc capite titulos qui prodierunt in oppidis vicisve inter Ofantum et Ufitam fluvios positis Leoni, Nusco, Montemarano, S. Angelo de' Lombardi, Guardia Lombarda, Rocca S. Felice (quamquam ibi qui extant tituli, probabile est omnes ex vicinis pagis eo adlatos esse), Torella, le Mufite, Villa Magna s. Maina, Paterno s. Paternopoli, Gesualdo, Frigento, Fontanarosa, Locosano, S. Angelo all' Esca, Taurasi, Lapio, Monte Falcione, Prata. Nam quo quis pagus Romana aetate spectaverit cum parum certum sit, utilissimum visum est, ne quod cui prae-iudicium fiat, omnia proponere sicut extant vicatim sparsa.

Certa horum locorum memoria apud antiquos vix ulla superest. Loci qui dicitur Ampsanctus meminerunt Cicero de divin. 1, 36, 79: *ex quibus (variis terrarum generibus) et mortifera quaedam pars est, ut Ampsancti in Hirpinis et in Asia Plutonia, quae vidimus; et Plinius h. n. 2, 93, 208: spiracula vocant . . . in Hirpinis Ampsancti ad Mefitis aedem locum quem qui intravere moriuntur; et Vergilius Aen. 7, 563: est locus Italiae medio sub montibus altis nobilis et fama multis memoratus in oris Ampsancti valles: densis hunc frondibus atrum uruet utrumque latus nemoris medioque fragosus dat sonitum sacis et torto vertice torrens. Hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis monstrantur ruptoque ingens Acheronte vorago pestiferas aperit fauces. Ad quem locum expressum a Claudiano de raptu Proserpinæ 2, 349 Donatum adnotare refert Servius Lucaniae esse qui describitur locum circa fluvium qui Calor vocatur (unde pendet Vibius Sequester p. 12 Burs.: Ampsanctus Lucaniae, cuius halitus volucres necat), quod improbans ipse Servius ait: *hunc locum umbilicum Italiae chorographi dicunt: est autem in latere Campaniae et Apuliae, ubi Hirpini sunt, et habet aquas sulphureas.* Denique Julianus episcopus Aeclanensis Augustinum, in quem invenit, (apud ipsum Augustinum in op. imperfecto contra Julianum 1, 48 vol. 10 p. 891 ed. Benedict.) sic adloquitur: *hic tu . . . tristius et horridius aliquid exhalas quam vel Ampsancti vallis vel puteus Averni; item Marius Mercator in subnotatis adversus eundem Julianum (opp. vol. 1 p. 39 ed. Garnier Paris. 1673): te verissime Ampsanctinae scaturiginis conregionalis tuae taeterrimus fetor, te Averni lacus nocentissimus halitus, te postremo Atabulus provinciae tuae pestifer halitus inflavit.* Ampsanctum hunc referunt probabiliter ad locum q. d. le Mufite a Rocca S. Felice ad occidentem prope Villam Magnam; nam et natura loci convenit et proximus inde Calor currit et potuit locus is aut comprehensus agro Compsino aut certe proximus ei et a Donato Lucaniae attribui, ut Compsam ei regioni Ptolemaeus*

adiudicat, et a Servio in confinio Apuliae et Campaniae collocari et a Mario Mercatore ad eandem regionem referri, in qua est Aeclanum. Sed etsi de hac collocatione recte dubitari non potest, nos inde parum proficimus, cum Ampsanctus sive locus sive lacus quoniam in territorio fuerit, auctores non tradiderint.

Quid quod ne hoc quidem certis argumentis determinari potest fuerit in hac regione alicubi municipium aliquod coloniave an tota fuerit sive Abellinatum sive Compsinorum sive Aeclanensem sive Beneventanorum. Ligurum ut duae res publicae in Campania fuerint, qua de quaestione ad Ligures Baebianos disputabitur, quod Cornelianos in hac regione Guarinius collocavit eo motus, quod tam Baebiani quam Corneliani in campos Taurasinos deducti esse narrantur, hic autem est vicus Taurasi a Baebianis Liguribus certe alienus, pondere aequa caret atque aliae similes opiniones a sola nominum antiquissimorum et hodie usurpatorum similitudine profectae. Oppidorum autem Hirpinorum quae novimus nullum est, quod in hoc agro potissimum collocetur et suam rem publicam habuisse videatur. — Titulos denique ubi inspicimus, numero ii non pauci sunt, sed ita comparati, ut certa et indubia antiquae rei publicae indicia nulla proponant. Nam sepulcra magistratum (n. 997), Augustalium (n. 1048), sacerdotum (n. 1084) nemo ignorat etiam in territorio non raro inveniri; ad ipsum Ampsanctum autem qui repertus est titulus n. 1027 solarii facti a praefectis, pertinet is omnino ad aedem Mefitis a Plinio memoratam. Denique limites Gracchani ibidem eruditati (n. 1024. 1025. 1026) si non et ipsi ad eam deam referuntur, quam publicam factam esse populi Romani et agrum suum ab eo accepisse nihil impedit, certe pro municipii indicio haberri nequeunt. Frigenti tamen vel, ut medio aevo Latine dicebatur, Frequenti reperti tituli et numero multi sunt et tales potissimum, quales municipio convenient (n. 1048. 1051; cf. item n. 1049. 1050. 1052), ad quod accedit sedes episcopalnis (cf. Ughelli Ital. sacr. 8, 284). At cum Frigentum proximum sit ipsi Aeclano, nempe quarto ab eo lapide situm, monumenta illa medio aevo eo advecta esse possunt aedificandi causa. Nec quicquam obstat opinor, quominus episcopium Frigentinum sit ipsum Aeclanense sive, ut postea dicebatur, Quintodecimanum Aeclano deserto eo translatum. Quare adhuc municipii proprii in his partibus siti argumenta certa desunt. Qui has partes diligentissime peragravit Dresselius observavit Torellanum agrum maxime abundare antiquis ruderibus neque operam perditum esse, qui in ea diligenter inquisitus sit. — Tribus in his regionibus maxime frequens Galeria est reperta in Santangelensisibus